

Psalmus responsorius

Ps 15, 1-2a & 5. 7-8. 9-10. 11 (R̄.: cf. 5a)

R̄. Tu es, Dómine, pars hereditátis meæ.

¹ Consérva me, Deus, quóniam sperávi in te.

² Dixi Dómino: «Dóminus meus es tu».

⁵ Dóminus pars hereditátis meæ et cálicis mei:
tu es qui détines sortem meam. R̄.

⁷ Benedícam Dóminum, qui tríbuit mihi intelléctum;
ínsuper et in nóctibus erudiérunt me renes mei.

⁸ Proponébam Dóminum in conspéctu meo semper;
quóniam a dextris est mihi, non commovébor. R̄.

⁹ Propter hoc lætátum est cor meum,
et exsultavérunt præcórdia mea;
ínsuper et caro mea requiéscet in spe.

¹⁰ Quóniam non derelínques ánimam meam in inférno,
nec dabis sanctum tuum vidére corruptiónem. R̄.

¹¹ Notas mihi fácies vias vitæ,
plenitúdinem lætítiæ cum vultu tuo,
delectatiónes in déxtera tua usque in finem. R̄.